



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies Distribvtis

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1637

S. Theophanes C. 12. Martii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44055

VITÆ SANCTORVM. 12. Mart. bilitatem hanc anno M. DC. XXIII. Greg. Pont. Max. Cælitum honoribus condecoravit. Vos quoque qui largo pulmone nequicquam nobiles spiritus spumatis, è viâ cedite; Rusticus noster in cælo etiam reges præit. *Ex actis Canon.*

Si in hac vitâ dolet esse pauperem, & in honorum, quale est in perpetuâ patriâ de contemptu dolorem, de ignobilitate pœnam, de nuditate opprobrium sustinere: & tunc addici pœnis, quando pauper ducitur ad confessum Dei, & dives trahitur ad supplicium punitorum.
S. Pet. Chrys. serm. 22.

S. THEOPHANES C. 12. Martii.

PAtria THEOPHANI urbs regia Constantino-
polis, parentes Isacius & Theodota fuerunt,
è principe ambo familiâ. In locum patris demor-
tui ipse Imperator subiit, trimulumque in aulâ sua
omnibus disciplinis erudiri fecit. Sed animus
etiam his altiora spectabat. Quare cum nuptias,
matre ita volente, effugere non posset, domum
quidem sponsam deduxit: cæterum cum Hyme-
næus in thalamum se penetrare vellet, clausas fo-
res stratumque non sibi sed virginitati reperit.
Nempe sponsæ persuaserat jam, ut alteris nuptiis
virginitatem conjugio copularet. Id verò graviter
tulit sacer, ut qui dulce nepotis nomen amabat.
Igitur velut degenerem à patriâ virtute apud Leo-
nem Imperatorem ignavie accusavit THEOPHA-
NEM. Idemque, nî vestigiis Majorum insisteret,
oculos effossum se minitatus, ut vincitum mun-
do teneret (nam solitudinem cogitabat) novis ho-
norum dignitatibus oneravit. Sed mortuo Leone,
cum rectius Irene mulier Imperium administra-
ret, THEOPHANES inter Monachos, conjux inter

Virgines

Virgines velatas se abdidit. Fugit tamen ille Abbatis honores, ne in alteros scopulos vix subducentam ratem impelleret. Post hæc Synodi Nicænæ pars magna fuit. Sed & Leoni alteri Iconomacho fortiter se opposuit. Neque hic virum aut carceris obsidione aut fame longâ expugnare potuit. Victor igitur THEOPHANES cælum subiit, duxitque in triumpho duo ingentia monstra, Leones duos. Ex Surio.

Perfice ô homo quantum valeas, & perpende quantum debeas ; ut tandem tibi vilis esse desinas , ut vel per hoc erubescendis subjacere viis dedigneris , dum generositatem tuam de Creatoris ac Redemptoris dignitate metiris. S. Maxim. hom. i. de Resurr.

S. EUPHRASIA V. 13. Martii.

Non facilè illa alia Virgo splendorem generis sui, ut EUPHRASIA novit æstimare ; quippe quæ alios quantumvis nobiles toros alto animo despexit omnes, unum CHRISTI ambitiosa expectavit. Fortè in hunc fixum cruci oculos defixerat ; cum, ut amor facilè omnia sibi fingit, quæ arident, passis brachiis amplexum offerri sibi interpretata illico in crucem involavit , & amatum complexa etiam ipsa , æternum illi suos amores devovit ; quin mox futurarum nuptiarum flammeum inter sacras Virgines accepit. Interea literæ adsunt à Theodosio Imp. quem sanguine contingebat. Is quòd quinquennem Ordinis Senatorii Principi viro desponderat, jubebat nunc in ejus manus venire EUPHRASIAM. Sed pulchrè illa se jam in alterius manus venisse rescripsit, nec ex re suâ, nec verò ex familiæ dignitate fore immortali sposo mortalem anteponere. Itaque jam liberè

amori